DE
TYPHO ABORTIVO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA,
CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IV. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXV
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
MATHIAS RULLE,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
ZUMBUSCH, DRD. MED.
SCHUTZ, DRD. MED.
DIRUF, CAND. MED.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

Morbus, quem hodie typhum abdominalem vocamus, iam a Morgagni observatus et descriptus est [1]). Verum quum cadaverum obductio superiore saeculo saepissime negligeretur, sensim sensimque hic morbus oblivione obrutus est, ita ut prorsus novus et adhuc ignotus haberetur, quum Serres anno millesimo octingentesimo quarto et Petit anno huius saeculi tertio decimo observationes de eo institutas promulgarent. Inde ab hoc autem tempore iterum atque iterum observationes habitae sunt, ex quibus sine ulla dubitatione apparet hunc morbum ad frequentissime exsistentes acutos morbos pertinere.

Sicuti vero observationes, ita etiam morbi phaenomena quam maxime erant varia, quare quo intentione et decursu leviora et graviora morbi genera distinguebantur. Verum novissimis demum temporibus Leberti, Griesingeri aliorum observationibus et operibus in tertium quoddam morbi genus animus

---

1) Epist. XXX, 2.

noster conversus est, quod priore tempore propter brevem et prosperum decursum febris gastricae nomine insignitum est. Atque Griesinger praecipue hic ideo laudandus, quod primum satis perspicue ostendit typhos abdominales exstare, qui quatuor vel quinque tantum dies durent. Quae levissima morbi genera usque ad nostrum fere tempus parum sunt intellecta, quod sane cognovimus ex iis, quae B. Skoda — in den Berichten des Wiener Krankenhauses vom Jahre 1861 — affert; interdum, ut in epidemiis plerumque fieri soleat, in epidemia anni huius saeculi sexagesimi primi tales casus observatos esse, qui aliquamdiu ostendant symptomata, qualia in typhosis reperiantur morbis, verum post paucos iam dies reconvalescentiam ortam esse ita ut catarrhi gastrici acuti nomine debeant insigniri.

De hoc typhi abdominalis genere, quod supra ut tertia quadam species allatum est, in hoc libello disserere nobis proposuimus. Ex variis autem nominibus, quae huic morbo tributa sunt, veluti febris typhoides, typhus levissimus, febricula, Lebert auctore typhi abortivi nomen ea de causa eligimus, quia optime et clarissime significat, hic de modificatione tantum unius eiusdemque morbi, non de peculiari et prorsus diverso morbo agi. Priusquam vero ad describendum typhum abortivum aggrediamur, hoc unum commemoremus necesse est nos typhum abdominalem tum abortivum vocare, quum ille sine complicationibus, quae dicuntur, praecedit et post breve tempus bonum felicemque habet eventum; breve

autem id dicimus tempus, si morbus non longius quam duodeviginti dies durat, quamquam haec terminatio approximativa tantum nominari potest, quia interdum fit, ut typhus abortivus, quod ad ejus decursum et symptomata pertinet, in eam transeat speciem, de qua nemo iam possit dubitare, quin sit typhus abdominalis.

Aetiologia et Pathogenesis.

Quum typhus abortivus nihil nisi levis quaedam typhi abdominalis species sit, aetiologiae et pathogeneseos ratione habita hunc ab illo discernere non possumus. Quamquam autem veram causam et pathogenesin typhi abdominalis ignoramus, tamen satis accurate novimus res, quae illius origini favent. Huc praecipue pertinent putrescentes substantiae animales sive respiratione receptae sive una cum cibis et potionibus in corpus humanum inductae. Satis multa afferri possunt exempla, ex quibus apertissime elucet, in iis praecipue domibus, in quibus nimia hominum copia habitat, qui puri et salubris aëris parum habent curae, ubi praeterea foricae, stercus, cloacae, alia aera vitiant, saepissime huius morbi casus exsistere. Multos et insignes huiusmodi casus Murschison — Coutin. fevr. MDCCCLXII p. 438. — Griesinger alii collegerunt. Magis autem perspicui et insignes sane ii sunt casus, in quibus una cum aqua substantiae illae perniciosae, quibus morbus efficitur, in corpus inducuntur. Huc pertinent ii prae-

cipue casus, ubi in carcere in castris vel in vico brevi tempore multi homines typho abdominali sunt correpti, qui aquam ex uno eodemque hauriunt puteo, qui aut in ipsa vicinitate est, aut cum forica vel cloaca cohaeret; nam in his casibus tum demum prohiberi potuit, ne morbus longius sese diffunderet, quum illarum rerum malarum necessaria habita est ratio. Denique etiam commemorandi sunt casus, in quibus cibi iam putrescentes causa huius morbi fuerunt. Saepius enim iam observatum est, magnam partem hominum, qui vitiatam et corruptam carnem ederant, typho abdominali esse correptam, praesertim illa eius specie, quam vocamus typhum abortivum. Mirus atque notabilis huius rei casus evenit Andelfingiae in pago Turicensi, ubi ex sexcentis hominibus, qui vitiatam carnem vitulinam ederant, quingenti circiter morbo affecti sunt — Bericht des Gesundheits-Rathes, Schmidt's Jahrbücher vom Jahre 1841. Bd. 31. —

Ex his omnibus, quas attulimus causis, endemiae oriuntur, quae si latius vagantur morbum epidemicum efficere possunt. Ita exempli gratia Pettenkofer ostendit Monaci, ubi typhus abdominalis perpetuo grassatur, quotidie centum quinquaginta vehes necessarias esse, ut hominum excrementa ex urbe removeantur, sed decem tantum vehicula quotidie hac in re occupata esse, septem igitur emanationum humanarum partes in urbe remanere ibique putrescere et effervescere. His rebus et conditionibus humum atque aquam, ut supra iam diximus, infici quisque facile intelliget; porro etiam corrupto scibos, qui in magnis urbibus,

praecipue quum caritas orta est, venumdantur et eduntur epidemico morbi progressui valde favere, ut accuratius demonstremus, haud erit necesse. Verum illae putrescentes substantiae non ipsum typhum abdominalem efficiunt, sed massam quandam producunt, qua tanquam veneno typhus efficitur. Natura autem huius massae usque ad hunc diem nobis estignota. Nunquam enim adhuc contigit, ut iniectione putrescentium massarum vel foricae gasibus inspiratione receptis typhus abdominalis efficeretur.

Stich quidem massae putrescentis iniectione apud canes vehementem catarrhum ilei et intumescentiam glandularum lymphaticarum mescenterialium effecit, atque Barker foricarum gasibus vel acido hydrothionico respiratione receptis apud eadem animalia vehementem diarrhoeam cum vomitu coniunctam et infirmam aegramque valetudinem excitavit; verum nunquam usque ad hoc tempus illis rationibus morbus potuit elici, qui, quod ad symptomatum complexionem pertinet typho abdominali prorsus similis esset.

Quae adhuc exposuimus, sufficiant ad demonstrandum, quantum res miasmaticae, quae dicuntur ad producendum et diffundendum typhum abdominalem valeant; iam ostendere conabimur, quatenus contagio in aetiologiam et pathogenesin vim quandam exerceat.

Multi doctissimi viri hunc morbum contagiosum esse prorsus negant, hac re praecipue nisi, quod in clinicis nunquam contagium animadvertissent, quamquam ii, qui typho abdominali affecti erant, cum

aliis in uno eodemque conclavi erant, vel eo nisi, quod in magnis urbibus veluti Parisiis aliis, in quibus epidemiae saepe exsistunt observatum est. His tamen observationibus, ut similes morbillorum et typhi exanthematici observationes ostendunt, certum quiddam de morbi contagione non est constitutum. Illis autem in clinicis factis observationibus aliae sunt oppositae, ex quibus satis evidenter apparet hunc morbum contagiosum esse. Ita Griesinger quoque commemorat in clinico suo ex custodibus, quae aegrotas typho affectas curabant, novem, ex mulieribus, quae aegrotorum lintea lavabant, septem typho abdominali correptas esse. Evidentissime autem morbi contagionem ex his exemplis Griesinger studet demonstrare: „Si aegrotus, inquit, typho affectus in aliam regionem, ubi typhus nondum exstiterat, venit atque primum ii, quos circa sese habet, morbo afficiuntur, tum vero morbus longius diffunditur.“

Similis casus in hac urbe observatus est. Ante tres fere annos studiosus quidam, qui ex regione, in qua typhus abdominalis grassabatur, huc venerat, paullo post adventum eodem morbo correptus est. Simulatque in clinicum receptus est, ubi adhuc, sicuti in ipsa hac urbe, nemo typho laborabat, duo deinceps custodes hoc morbo sunt implicati. Illae igitur observationes in clinicis institutae, ex quibus apparere viri docti volunt morbum non esse contagiosum, non in omnibus casibus valent atque eo minoris etiam fiunt momenti, quoniam experientia satis cognovimus, typhum abdominalem rarissime in eos ingruere, qui

iam alio morbo sunt tentati; atque vim contagiosam minimam tantum esse posse, si quam celerrime eae substantiae, ex quibus venenum contagiosum oritur, quod vel in aere vel in aegroti emanationibus positum esse debet removentur, quod etiam in unoquoque clinico fit, dum cubiculi fenestrae patefiunt, ut aer purus accedat, excrementa removentur et omnino summa munditIes adhibetur et observatur. Denique hic paucis commemeremus, quatenus sedes et locus, vitae genus, aetas et sexus typhi origini faveant.

Quantum hodie quidem ex observationibus constitutum est, regiones orbis solstitialis, praecipue Germania, Francogallia, Belgia saepissime et gravissime hoc morbo vexantur et urgentur; minus saepe regiones septentrionales et rarissime tropicae et quae his proxime adiacent regiones. Deinde etiam sedes et locus haud parum valent ad vim typhi augendam, ex Vogelii enim observationibus elucet, homines eo propensiores fieri ad typhi venenum, quod dicitur, si in talem locum transmigrant, in quo quotannis, veluti Monaci, typhus grassatur et haud raro epidemice diffunditur. Quod denique ad vitae genus, aetatem, sexum attinet tabulae statisticae, quae dicuntur, satis docent, pauperes saepius quam divites typho abdominali tentari, quia illi rebus noxiis, quas supra commemeravimus, magis expositi sunt quam hi, atque in universum plures viros quam feminas in hunc morbum incidere et quidem saepissime inter annum octavum decimum et tricesimum, rarissime autem infantes et senes.

Ex qua vero harum omnium causarum, quas

supra attulimss, in unoquoque casu diversus morbi decursus pendeat, qui hodie est scientiarum status, pro certo affirmari non potest. Singularum enim epidemiarum, propria et peculiaris uniuscuiusque hominis natura, pristinus valetudinis status, aegroti curatio sicuti minor vel maior miasmatis, quod dicitur et contagionis iniecta copia sine ulla dubitatione vim quandam exercent; quanta vero haec vis sit et quae res praecipue in unoquoque casu valeat minime iam potest constitui.

Mutatio anatomica.

Quum usque ad hoc tempus nullum typho abortivo affectum cadaver obductum sit, apparet nos mutationes organorum affectorum pathologicas describere non posse. Verum nihilo minus id sane accipere et contendere possumus in typho abortivo easdem pathologicas mutationes, quas in expresso et prorsus perspicuo typho abdominali observamus, oriri; sed leviores et minus late patentes, atque hanc nostram sententiam eo probare ac defendere nos posse putamus, quod, quantum hodie quidem cognovimus, typhus abortivus iisdem causis efficitur eademque ac typhus abdominalis praebet symptomata. Mutationes vero pathologicas non tam diffusas et expressas esse ideo debemus contendere, quia inquisitiones physicae, veluti in liene et pulmonibus institutae, hoc satis dilucide demonstrant et quod ita celerem diarrhoeae defectum et reconva-

lescentiam per breve tantum tempus durantem optime possumus explicare.

Symptomata et decursus.

Eos typhi abortivi casus, qui quinque vel septem dies durant, propter irregularem decursum et quia non alio tempore quam exorta epidemia domestica, accuratius cognosci et intelligi possunt, praeterea etiam rarissime tantum exsistunt, separatim spectabimus.

Ex casibus, quos Griesinger publicavit*), apparet morbum cum frequenti frigoris sensu, vehementibus capitis doloribus, vertigine, aurium strepitu, magna lassitudine, ardore, cute sicca conjunctum repente exortum esse. Aegroti simul de vehementi siti, injucundo sapore, appetitus defectu quaerebantur. Secundo vel quarto die lienis intumescentia animadverti potuit. Eodem fere tempore levis meteorismus exortus est et plerumque etiam defaecationes diarrhoeales. Pulsus pleni, molles et freqnentissimi erant usque ad centum viginti per min. atque haud raro dicroti sunt facti. Temperatura quam maxime irregularis, mox enim corporis calor crescebat et decrescebat, mox usque ad morbi finem sensim sensimque augebatur, tum vero celeriter ad statum normalem rediit, nunquam tamen 40° C. superavit. Quinto vel septimo die sub copiosis su-

---

*) Dissertation des Dr. J. J. Schmidt. Zürich 1862.

doribus febris evanuit atque aegrotus reconvalescentiae stadium non transgressus, statim prorsus sanus ac salvus erat.

Magis regularis morbi decursus est, si usque ad sedecim dies durat. In hoc enim casu in universum in febris decursu et morbi symptomatis primum et secundum morbi stadium animadvertitur, vel, Vogel auctore, intoxicationis et reactionis symptomata. Morbus ipse plerumque a frequentiore frigoris sensu incipit, raro ab horripilatione semel tantum facta. Interdum his symptomatis stadium prodromale, quod dicitur, antecedit constans ex universali aegra valetudine, magna lassitudine, strepentibus capitis doloribus. Plerumque aegroti frigore vel horripilatione transgressa propter nimiam infirmitatem et vehementes capitis dolores lectum quaerunt, siti valde cruciantur, iniucundum et amarum saporem habent, dum appetitus prorsus deest; somnus plerumque inquietus et propter gravia atque sollicitantia somnia parum suavis ac recreans. Aegroti, si vigilant, mentis prorsus sunt compotes, verum omnium rerum, quae circa eos fiunt, expertes neque iis commoventur, atque invite tantum et aegre respondent. Defaecatio in nonnullis casibus diarrhoica est, in plerisque autem omnino non fit et sub finem tantum hebdomadis sine colica plures defaecationes fere normales exsistunt; in singulis casibus initio saepius aegroto sanguis e naribus effluit, in plurimis autem vexantur levi tussi, qua spumosum et pituitosum sputum evomitur.

Ex symptomatis obiectivis, quae dicuntur, in prima morbi periodo inprimis notandum est, aegroti, quum e lecto surrexerit, faciem pallidam esse, quum vero aliquamdiu in lecto iacuerit, rubram. Lingua alba substantia obtecta et paullisper sicca interdum in utraque parte dentium impressionem exhibet. In inspectione faucium plerumque levis angina catarrhalis animadvertitur; in pulmonum auscultatione maxima ex parte frequentes rhonchi sibilantes audiuntur, qui ex tenuium bronchialium catarrho oriuntur. Sub finem primae morbi periodi, quae plerumque in primae morbi hebdomadis finem incidit, percussione manifestum fit, lienem auctum esse, atque eodem fere tempore nonnunquam singulae roseolae typhosae observantur in abdomine, quod modice inflatum et intentum est. Ea regio, in qua ileum et coecum positum est, si vehementius premitur, aegroto dolorem affert atque is, qui illam regionem premit, per digitos frequentem strepitum aperte sentit.

His omnibus graviora ipsius febris symptomata sunt. In primis enim tribus vel quatuor diebus corporis temperatura thermometro inquisita unoquoque die uno gradu Cels. augetur, mane tamen plerumque remissio observatur, quae a vespertina temperatura 0,5° C. discrepat. Inde a quarto vel quinto die temperatura non augetur et circiter 39,5° vel 40° C. est.

Altera hebdomade ineunte temperatura ita decrescit, ut sub eius finem mane febris non possit animadverti, quum tamen vesperi eam uno gradu

vel plus auctam esse thermometro adhibito intelligamus. Sub finem secundae et initium tertiae hebdomadis vespertina quopue febris evanescebat; temperaturae auctio et deminutio pro morbi diuturnitate diversa est. A febris phaenomenis frequentia pulsuum, qui haud facile plus centum et viginti sunt, saepe valde discrepat, quare pro diagnosi et therapia minoris tantum momenti est; sin vero pulsus dicrotus fit, pro diagnosi magni sane est momenti.

Quod ad cetera morbi symptomata alterius periodi excepta febri et morbida pulsuum natura attinet, aegrotus plerumque pallidum et debilitatum praebet adspectum, somnus somniis terribilibus turbatus est atque aegrotus, si vigilat, apathiae statum praebet, quamquam conscientia eius minime est turbata. Lingua quidem facile ad siccitatem inclinat, verum dura crusta non est obtecta. Aurium tarditas, quae plerumque in expresso et satis manifesto typho abdominali solet oriri, prorsus deest, vel propter levem anginam catarrhalem parva tantum vi et intentione est. Pulmonum morbida phaenomena modica tantum sunt; alvi profluvia quotidiana vel rariora sunt, vel prorsus desunt; intumescentiam quidem lienis sentimus, quem tamen magis magisque augeri non animadvertimus. Abdomen parum tantum intentum est et haud facile pressum sentit. In regione, ubi ileum et coecum positum est, strepitus aeque ac roseolae typhosae saepius non observantur, quae si omnino in altera morbi periodo adsunt, in eius initio tantum reperiuntur.

Sub finem secundae et initium tertiae hebdomadis sensim sensimque omnia morbi phaenomena evanescunt atque aegrotus largum emittens sudorem in statum reconvalescentiae ingreditur; febri liberatus bene sese habet atque cibum appetit, infirmitas tantum imbecillitasque plus minus magna declarat eum aegrum fuisse, verum vires mox redeunt et plerumque post aliquos dies vel maxime post unam vel duas hebdomades in statum pristinum et integrum est restitutus.

Huius normalis typhi abortivi decursus, ut omnium morborum acutorum plures animadvertuntur exceptiones. In nonnullis enim casibus, qui tamen raro eveniunt, febris symptomata brevi tempore modum, quem supra attulimus, excedunt. Aegroti apathia uno vel duobus diebus ita augetur, ut mentis suae non compos et delirus sit. Exanthema copiosum est; catarrhus pulmonum et anginae vehemens, diarrhoea frequentissima et copiosissima fit; ut paucis dicam, omnia sese ostendunt symptompta, ex quibus typhum abdominalem nos exspectare posse coniicimus; verum ideo quod haec symptomata celeriter transeunt, morbi decursus faustissimus et brevissimus est, reconvalescentia parum tantum indicata, satis dilucide significatur morbum esse typhum abortivum.

D i a g n o s i s.

In diagnosi typhi abortivi semper et ante omnia haec sunt spectanda:

Primum diagnosis ante initium secundae hebdomadis institui non potest, quae interdum post totius demum morbi progressum potest institui. Porro typhus abortivus eo tantum tempore exsistit, ubi typhus abdominalis endmicus vel epidemicus est factus. Has duas res et levia in universum typhosa typhi abortivi symptomata si spectamus, paucos tantum morbos cum hoc possumus confundere. Pyaemia, acuta tuberculosis miliaris, meningitis, tuberculosis meningealis, alia in diagnosi differentiali non spectantur, quia tum demum reperiuntur, si typhus abdominalis gravissimus est factus. Restant igitur febriles et acuti ventriculi intestinorumque catarrhi, praesertim si chlorotico et anaemicos homines corripuerunt. Pneumonia infantium et hominum debilitatorum, catarrhus acutus tubulorum uriniferorum rectorum, levis febris remittentis species.

Discrimen inter typhum abortivum et acutum ventriculi catarrhum, hoc est, si aegrotus typhosa quae dicuntur symptomata eo tempore praebet, quo typhus abdominalis iam endemicus factus est, aegrotus ipse per longum tempus epistaxibus laboravit, pulsus dicrotos praebet, de phaenomenis bronchiticis queritur, diarrhoeam cum colica non coniunctam habet et dolores sentit, si regio, in qua ileum et coecum positum est, premitur; haec omnia phaenomena magis typhosum morbum quam acutum ventriculi catarrhum indicant. Si constat aegrotum contra diaetam peccasse, regio ventriculi extensa est, aegrotus ad vomitum inclinat, saepe etiam evomit,

catarrho cum colica coniuncto laborat, coniicere haud dubie possumus ventriculi intestinorumque catarrhum, non vero typhosum morbum exstare. Herpes labialis rarissime tantum invenitur in typho abortivo, roseola adauctus lienis tumor apud homines, qui febri intermittenti nondum affecti sunt, in ventriculi intestinorumque catarrho nunquam animadvertuntur; preterea febris, si ventriculi et intestinorum catarrhus exstat, in universum non tam vehemens est neque talem habet decursum, qualem febris habet, si morbus typhosus exstat. Ne hunc typhosum morbum cum pneumonia veterum et imbecillorum hominum confundamus, prohibemur, si neque roseolam neque lienis tumorem animadvertimus, neque etiam aegrotus, quum tussit vel alte suspirat, dolores sentit; porro si semel tantum horripilatio exsistit, denique si ipsos aegroti pulmones accuratius inquirimus.

In pneumonia infantium diagnosis differentialis, si omnino institui potest, quia omnia subiectiva, quae dicuntur, symptomata desunt, et percussio plus minus inutilis est; nititur praecipue auscultatione, exstante roseola atque si demonstrare et intelligere possumus infantes miasmaticae vel contagiosae affectioni expositos fuisse.

Discrimen inter acutum tubulorum uriniferorum rectorum catarrhum et typhum abortivum haud difficile possumus cognoscere, si quotidie urinam inspicimus et perscrutamur, utrum albumen insit necne: quod si in toto decursu, praecipue autem in morbi

initio invenitur, typhum abortivum possumus excludere, quia in typho tum demum et quidem per breve tantum tempus minima albuminis copia reperitur, si morbus nactus est fastigium *). Praeterea si roseola exstat, lienis tumor apud aegrotos, qui febri intermittenti nondum correpti sunt, meteorismus, diarrhoea, quae cum doloribus non est coniuncta, de diagnosi nullo prorsus modo possumus dubitare.

A levibus febris remittentis formis typhum abortivum saepius tum demum possumus distinguere, si nobis contingit, ut apertam et satis perspicuam febris ceterorumque morbi phaenomenorum remissionem cognoscamus. Herpes labialis plerumque typhum abortivum excludit; orta roseola nos cogit, ut febrem remittentem negemus; si icterus exstat, verisimile est febrem remittentem adesse. Praeterea spectandum quoque est num aegrotus in ea regione habitet, in qua aut febris intermittens saepius exsistit, aut typhus grassatur.

Praeter hos, quos nominavimus morbos, multi sane alii sunt, quibuscum pro rebus et temporibus typhum abortivum possimus confundere, quos tamen hic enumerare nolumus, neque eorum symptomata afferre, quibus a typho abortivo distingui possint;

---

*) Unter den von Griesinger in der bereits genannten Dissertation des Dr. J. J. Schmid publicirten Fällen von typhus abortivus (typhus levissimus nach Griesinger) findet sich nur einer verzeichnet, in dessen Verlaufe Eiweis nachgewiesen wurde. Dasselbe fand sich nur einmal in geringer Menge vor und zwar auf der Höhe der Krankheit.

sed ea tantum symptomata significare, quibus typhi abortivi diagnosis maxime nititur.

Omnium symptomatum gravissimum roseola est, huic proxima sunt: lienis tumor — si aegrotus febri intermittenti priori tempore non affectus erat, — temperaturae mutatio, quam supra descripsimus, pulsus dicrotus, diarrhoea, meteorismus, maturus stupor, — secundum Griesingerum. — Si haec omnia vel pleraque certe symptomata ea ratione, quam supra significavimus, exsistunt, diagnosis dubia esse non potest. Saepe autem diagnosin ita tantum instituere poterimus, ut alios morbos adesse negemus atque accuratam diligentemque anamnesin adhibeamus. Verum etiamsi in hoc vel illo casu typhosam morbi naturam constituimus, tamen initio secundae hebdomadis demum possumus discernere, utrum morbus sub specie abortivi an typhi abdominalis decursurus sit. Etenim si in fine primae et initio secundae hebdomadis corporis temperaturam quotidie minorem fieri animadvertimus et febrem mane remittere aperte cognovimus, magna cum verisimilitudine diagnosin typhi abortivi possumus instituere, quum ii casus, in quibus febris hoc tempore iterum augetur, rarissimi sint. Sin autem morbus secundam periodum, vel quod idem est, secundam hebdomadem non habet, diagnosis, quum proprius et peculiaris temperaturae decursus non possit observari, neque meliora facta morbi symptomata, ut certum quiddam constituamus sinant, antequam totus morbi processus finitus sit, non potest institui.

Prognosis.

Prognosis, si ea spectamus, quae viri doctissimi Lebert, Griesinger alii observavere, et cognovere, et quoad vitam et quoad completam valetudinem, fausta nominari potest.

Therapia.

Prophylaxis postulat, ut in talibus urbibus vel domibus, in quibus saepius typhum abortivum oriri observatum est, ea omnia removenda quam maxime curemus, quae humum, aerem, aquam putridis rebus et substantiis inficere possint. Praeterea tali morbo affectos a sanis debemus separare atque iis tantum aditum concedere, qui aegroti curam susceperunt. Quamquam enim nondum pro certo potest confirmari typhum abortivum contagiosum esse, tamen pro ratione et similitudine aliorum levium morborum, quibus alii inficiuntur, illud satis verisimile fit. Quum primis morbi diebus typhi abortivi diagnosin instituere non possimus, hoc tempore aegrotum optime ita tractabimus, acsi typhus abdominalis indicatus sit.

Ex accuratissimis observationibus, quas Wunderlich instituit, vix dubium esse potest, quin hydrargyrum chloratum mite in typhi decursum faustam exerceat vim, quamobrem in morbi initio aegroto, ut Wunderlich praecipit, unam vel duas doses huius

medicamenti gr. v dabimus, nisi diarrhoea exstante eius usus contraindicatus est. Tum quoque hydrargyrum chloratum mite ordinare non debemus, si aegrotus paullo ante medicamenta chlorata vel, ad appetitum excitandum, salsiores cibos sumpsit; quia hydrargyrum chloratum mite, si chlori mixturae adsunt et ventriculi temperatura satis magna est, in hydrargyrum muriatum corrosivum transit*), itaque in salem mutatur, qui diversissimum et adeo contrarium habet effectum; porro hydrargyrum muriatum corrosivum tam corrodentem habet vim, ut $\frac{1}{2}$ vel 1 gr. iam vomitum efficiat; huic fortasse potest explicari, cur a nonnullis aegrotis hydrargyrum muriatum mite saepe evomatur. Praeter hydrargyri muriatum mitis usum per totum morbi decursum omnibus fortioribus remediis debemus abstinere atque omnino indifferentes tantum res, si ab aegroto remedium quoddam postulatur, ordinare, veluti:

℞ Aq. oxymyriatic. ℥j – ij
Aq. destillat. ℥vj
vel
Acid. muriatic. ℥j
Mucilaginis salep. ℥vj.

M D. S. per duas horas unum cochlear:

haec enim medicamenta sunt, quibus palliativam quandam vim possumus tribuere.

Adversus vehementer capitis dolores gelida ca-

---

*) von Gorup-Besanez, anorganische Chemie. Seite 503.

taplasmata, adversus sitim aquam communem, Limonade vel Sodawasser possumus adhibere Ante omnia id curare debemus, ut aegrotus diaetam diligenter servet; si fieri potest, aegrotus ex contagiosa domo removendus et in amplum conclave deportandus est. Porro id quoque spectandum, ut aegrotus quiete iaceat et in conclavi temperatura XII vel XIV° R. sit. Saepius aer purus et saluber in conclave immittendus atque bona serenaque tempestate interdiu fenestrae possunt aperiri. Aegrotus ipse ita debet iacere, ut eius corpus nullo modo prematur; denique summa aegroti et corporis et lintei mundities spectanda, excrementa quam celerrime removenda sunt.

Propter gastrica phaenomena et quia appetitus prorsus deest, in prima hebdomade nequaquam id spectare possumus, ut aegrotum alamus; verum tamen si cibum appetit, parva copia nutrientis et liquidi cibi, qui facilis est ad concoquendum, ei potest dari, veluti ius gallinaceum ovo mixtum, extractum carnis, atque, si aegrotus majore est infirmitate nonnulla cochlearia boni vini.

Etiam sub finem morbi et in ipsa reconvalescentia, ubi aegrotus saepius bonum habet appetitum, parva tantum illorum ciborum copia ei debet dari, sed saepius interdiu; atque hoc praescriptum ut diligentissime observetur, debemus spectare, quia peccata in diaetam saepe iam pessimos effecerunt eventus. E lecto aegrotus non prius debet surgere,

quam corporis temperatura normalis facta est. Qua ratione si aegrotum tractamus, omnibus typhi abortivi casibus satisfaciemus, atque usus et experientia satis iam nos docuerunt hanc tractationem optimam esse quam possimus adhibere.

VITA.

Natus sum Matthias Rulle anno huius saeculi XL die XXVI mensis Octobris Coesfeldiae, urbe Guestphaliae, patre Casparo, quem summa pietate gratoque animo amplector, matre Elisabeth e gente Versen, fato valde praematuro mihi dolenti erepta. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium patriae, quod adhuc Cel. Schluetero directore floret, novem per annos frequentavi. Auctumno anni h. s. LXI maturitatis testimonio instructus Herbipolin me contuli, ubi quatuor per semestria literis medicis operam dedi. Tum hanc almam Gryphiae sedem literarum petii, ubi ab Ill. Bardeleben, Rectore magnifico civibus academicis adscriptus apud Ill. Pernice, t. t. Decanum spectatissimum gratiosi medicorum ordinis momen professus sum.

Disserentes audivi:

Herbipoli:

Exp. Schwarzenbach: de physice.

Ill. Koelliker: de myologia, splanchnologia, neurologia. Idem dux mihi fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi, de physiologia.

Cel. Narr: de encyclopaedia et methodologia medicinae.

Beat. H. Mueller: de osteologia, angiologia; de anatomia topographica.

Ill. Scherer: de chemia organica et anorganica.
Cel. Claus: de generatione.
Ill. de Scanzoni: de arte obstetricia.
Exp. Dehler: de akiurgia.
Ill. Bamberger: de pathologia et therapia speciali.
Cel. Textor: de arte fascias rite alligandi.
Exp. Geigel: de pathologia et therapia generali.
Ill. Linhart: de chirurgia.

Gryphiae:

Ill. Limpricht: dux mihi fuit in exercitationibus chemicis.
Ill. Ruehle: de auscultatione et percussione. Idem dux mihi fuit in clinico medico.
Ill. Bardeleben: de herniis. Idem dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico atque in operationibus in cadavere instiutis.
Ill. Pernice: de morbis neonatorum, de morbis mulierum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.
Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.
Ill. Mosler dux mihi fuit in clinico medico.
Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice. Idem dux mihi fuit in adhibendo oculi speculo.
Ill. Laurer dux mihi fuit in fasciis rite alligandis.
Ill. Grohe: de morbis genitalium. Idem dux mihi fuit in cursu anatomiae et histiologiae pathologicae.
Exp. Heineke: de fracturis et luxationibus.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo.

THESES.

I.

Non solum typhus exanthematicus sed etiam typhus abdominalis est morbus contagiosus.

II.

Sine quiete quae dicitur absoluta adhibita in arthrophlogosibus acutis nullum antiphlogisticum est.

III.

Haemorrhagia post abortum appendicibus ovi remotis sistenda est.